



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

II. Kaiser Otto II. bestätigt der Kirche zu Magdeburg den Besitz der Landschaft Neletici und unter verschiedenen andern Besitzungen den Zehnten von den Abgaben der Länder Ucra, Rezem, Riedere, ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

H. Kaiser Otto II. bestätigt der Kirche zu Magdeburg den Besitz der Landschaft Neletici und unter verschiedenen andern Besitzungen den Zehnten von den Abgaben der Länder Uera, Rezem, Riedere, Tolensam und Zirzipam, am 5. Juni 973.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto, divina favente clementia Imperator Augustus. Si loca divino cultui ab antecessoribus preparata nostris, opere vel auctoritate nostra tuemur et fovemus, statum sine dubio regni vel imperii nostri esse credimus. Unde rogatu et admonitione Domine Genetricis nostre Adelheidis, pia sollicitudine moniti, sanctam Magdeburgensem Ecclesiam, quam piissimus Genitor noster a fundamento construxit, contra irruentes undique molestias premunire decrevimus, et auctoritatis nostre precepto undique tueri, ne ab aliquo molesteur, omni modo curavimus. Pagum igitur seu regionem Neletici nominatam in orientali parte Sale fluminis sitam, in qua civitates Gibikenstein, et Dobrogora et Rodebile habentur, cum salina sua et omnibus appendiciis vel utilitatibus quibuscunque, sicut beate memorie pius Genitor noster ex suo proprio in ius et proprietatem sancti Mauritii Martyris liberaliter obtulit, nos nihilominus munificentiam eius secuti, eandem regionem sancte Magdeburgensi Ecclesie perpetuo servitutam, ob remedium eius anime, auctoritatis nostre precepto roboramus et confirmamus, quidque etiam ipse in Francia videlicet infra urbem Moguntinam, hoc est Monasterium Hagonis cum curtibus et pertinentiis suis, et extra urbem in pago Nagonis, Treifa, Gogenheim et Huffilesheim et in pago Spirensi Spirdorph et in comitatu Magunense Wesila et Ketzelenheim, cum omnibus appendiciis et utilitatibus suis prenominato sanctissimo martyri Christi, Mauritio, largitatis sue munificentie contulit, nostra item serenitas, ut eidem Ecclesie perpetualiter serviat, Imperiali precepto auctoritative decrevit, predia quoque, videlicet Guddenstein, Bredinge, Bernhardesroth, Muppoldesdorp, Bischopesstedt, Rochestedi, Bigeri, Gramensdorp, cum omnibus appendiciis et pertinentiis suis sancte Magdeburgensi ecclesie, ab eodem genitore nostro collata, omnemque decimam, census argenti scilicet de provinciis Sclavorum Ueram, Rezem, Riedere, Tolensam, Zirzipam, ad nostrum fiscum respicientes, sancto Mauritio ad concremanda luminaria Magdeburg, vel tymiama emendi ab illo collatam, nostra quoque munificentia largimur eidem Ecclesie et confirmamus. Et ut hoc nostre confirmationis preceptum firmum et stabile perduret, chartam hanc conferri et annuli nostri impressione signari iussimus, quam et manu propria subtus firmavimus.

Signum domini Ottonis (Monogr.) Magni et invictissimi Imperatoris Augusti.

Quilufius, Notarius, ad vicem Rodberti Archicancellarii subscripsi.

Data Non. Iunii. Anno dominice Incarnationis 1000LXXIII. Indictione XIV. Anno imperii Domini Ottonis, serenissimi Imperatoris Augusti, VII. Actum Magdeburg. amen.

Aus Haffelbach, Rosengarten und von Medem Codex Pom. dipl. I, 22. 23 nach einem Copialbuche.